

Go
4467

116. 17



4

SCHOLAE VVOLFENBVTTLENSIS
VINDICIAE

GRATVLATVM

VIRO SYMME VENERABILI

IOANNI GEORGIO
OLDEKOP

DOCTORI THEOLOGO LONGE CELEBERRIMO
SERENISSIMI BRNOVICENSIVM DVCIS A SACRIS CONSILIIIS
CONCIONIBVS ET CONFESS. ECCLESIAE METROPOLITANAE
VVOLFENBVTTLENSIS ADHVC ARCHIDIACONO
ET ORPHANOTROPHEI CVRATORI

HONORVM AMPLISSIMORVM ACCESSIONEM

IN PRIMIS

GYMNASII NOSTRI EΦOPEIAN

COMMVNI EIVSDEM DOCTORVM PIETATE

AVCTORE

IOAN. CHRISTOPH. DOMMERICH

RECTORE

VVOLFENBVTTLELAE

TYPIS EXSCRIBEAT IO. VVILH. BINDSEIL

SCHOLAE WOLFFENBUTTENSI

VIRO DOCTORI

GRATULAMUR

VIRO SVMMO VERTVIBILI

IOANNI GEORGIO

OLDEKOP

DOCTORI THEOLOGO LONGE CELEBRATIONE

ET REVERENDO SACRORVM SACRILEGIVM A SACRIS CONSTITVTIS

CONSELIORVM ET CENSURARVM REVERENDISSIMO PASTORALIANTE

WOLFFENBUTENSI SVMMO ARCHIDIAcono

ET CENSURARVM CONSTATO

HERENNY WOLFFENBUTEN ARCHIDIACONO

PRINCE

IOANNI GEORGIO

OLDEKOP



IOANNI CHRISTOPHO DOMMERICH

LECTORI

PHYSICAE

ET MATHEMATICAE





Linguam si quis demortuam rite ac feliciter vult
discere, nae tutius ad istos scriptores appli-
cabit animum, qui tunc temporis vixere,
quo lingua non in vsu solum fuit quodia-
no, sed ab eruditis etiam diligenter culta, ac
polita, quam ad recentiores, quorum omnis
auctoritas nulla plane est, nisi veterum testimoniis nitatur.
Haec tam vera, tamque certa esse arbitror, vt probatione indi-
gere nulla videantur. Quis enim, quaeso, limpida et pura aqua
neglecta, limosam hauriet et pigram? Quis, amabo, rerum fon-
tes non videt, et riuulos confectatur, nisi tardum ingenium?

Mulum, crede mihi, refert a fonte bibatur,

Qui fluit, an pigro quae stupet vnda lacu (1).

Sapienti igitur factum est consilio, vt in scholis, his elegantio-
rum litterarum domiciliis, vbi praeter vernaculam, peregri-
nae quoque discuntur linguae, isti auctores praelegantur, qui
in quavis lingua clasfici recte audiunt.

Falluntur autem atque alios fallunt, qui solam lingua-
rum scientiam ex scriptoribus his hauriri posse sibi persua-
dent, ob eamque causam tantum in scholis eos tractari.
Tam variae plenos esse eruditionis, tantaque abundare re-
rum scitu et iucundissimarum et vtilissimarum copia, vt
omnis doctrinae fons recte dici possint, omnes norunt,
qui familiariter illis vtuntur, eosque nocturna versant ma-
nu, versantque diurna. Neque tam exigua illa laus est,
quae a sermonis puritate petitur, et licet, qui artium man-

A

sue-

1) MARTIALIS Epigr. L. IX, 102. ed. LVD. SCHMIDTII

fuetiorum contemptores sunt, illam ad veram eruditionem ne pertinere quidem clamitent, et flocciendant: principes tamen viri inter eruditos maximam huic studio semper impenderunt operam. Ipsum M. T. CICERONIS, sed quanti oratoris, quanti in republ. consulis, quanti in orbe litterato luminis, exemplum fati superque, Romanos, et illos suae linguae peritissimos, maximam olim, vel vnius vocis, curam adhibuisse, testatur. Scripserat ille librum, quem, vt eodem teste tunc temporis solebant Attico et Varroni, tamquam Aristarchis, examinandum mittit. Quo perlecto Atticus non dubitauit monere Ciceronem de vna voce mutanda, *sustinere remos*, cuius loco malebat reponi, *inbibere remos*. Cicero de voce mutanda coepit ante quidem cogitare: postea vero, cum bene rem secum perpendisset, rescripsit Attico, se prius retinere verbum malle, eiusque causam produxit (2). Vt sexcenta alia silentio praeteream exempla. Quis enim auribus tam est agrestibus, impolitis ac rudibus, quin tersa, eleganti, ac concinna capiatur oratione? Quis hiulca, languida, spinosa, et rustica dicendi forma delectari potest, nisi qui orationis omnem cultum, omnesque veneres prorsus ignorat?

Accuratioꝝ linguae atque orationis cognitio non ad externum eruditionis cultum solum pertinet: sed eiusdem pars, neque infima, recte dicitur. Vnde enim tot in scientiis errores, tot alucinationes, tot nodi difficiles ortum traxere suum? Nonne ex minus recte intellectis eruditorum veterum scriptis? Quantaꝝ iam inter eruditos lites in Geographia veteri, Historia antiqua, et priscis ritibus, vt alia taceam, compositae sunt, ab instaurato linguarum Graecae et Aufoniae studio? Critices, vt ilissimae et rarissimae scientiae, ope Philosophorum veterum placita et dogmata melius iam perspici-

mus,

2) Epist. ad Familiares L. XVI, Ep. 17. edit. GRAEVI

mus, quam sine illa fieri potuisset. Quis nescit, quantum saepius in vnius vocis genuina significatione positum sit momenti ad soluendas difficillimas quaestiones? Haec vero non nisi assidua veterum lectione curatori, eorumque facta inter se comparatione eruitur.

Quae cum ita sint, qui magis quam vulgarem, seu intimiorem linguarum veterum, graecae puto et latinae cognitionem ab eruditione excludat, credo fore neminem. Tantum igitur abest, vt absque veterum diligenti lectione eruditio possit perfici, ex illis vt potius maxima capiat incrementa. Haec ego semper vera iudicavi, sicque animum induxi, vt scholasticae iuuentuti nihil magis prodesse crediderim, quam si maturatione auctorum veterum assiduae, eique bene ordinatae, lectioni adfuesceret. Saepius hoc iam publice scriptis meis professus sum, ipsamque pubem, disciplinae meae traditam, ad hoc potissimum studium hortatus sum (3). Mansuetiores ipse ego litteras per illud tempus, quo scholam hanc moderor, fere vnice tractavi, nec sine insigni voluptate ad Musas, quae pueritiam oblectabant meam, adolescentiam aiebant, mihi que semper fuerant in deliciis, reuerti, quibus paullulum temporis, quo aliis distinebar studiis, subtraxeram. Factum inde est, vt auditoribus meis auctor semper fuerim, suatorque, humanitatis studia ne oscitanter tractarent, quin potius omnem illis impenderent operam scholasticam, neque hanc solum, sed et in reliquo studiorum cursu ea sibi haberent commendatissima. Numquam sane illi suam mihi probarunt operam scholarum doctores, qui humanioribus litteris vel

A 2

pror-

3) Vide sis *Allocutionem meam ad Auditores, qui Academiam petunt*, vernacula conscriptam a. MDCCLII 4. p. XII et disertationem meam, quae in *Diurnis Hanoueranis litteris*

occurrit N. 69 et 70. A. MDCCLII p. 639. sequ. *de bonarum litterarum interitu nostris diebus non temere metuendo*, vt multos alios, euulgatos a me, libellos praeteream.

prorsus neglectis, vel obiter tantum traditis, contemtimque habitis, suos ad altiores progredi passus sunt scientias, quarum studium vtilioribus, et in scholis magis necessariis, tempus praeripuit. Ita mihi semper habui persuasum, eos litterarum elegantiorum ambitum vel prorsus ignorare, vel leuiter illas attigisse, qui scholasticam iuuentutem ab illis, si non auocant, tamen culpa sua arcent.

Mirari itaque fatis nequeo, qui fieri potuerit, ut nuper non nemo, perfrictae sane frontis homo, in scripto iniuriarum, et obscenitatis plenissimo, Gymnasium nostrum ita infamare ausus sit, *ac si in illo studiosa nostra iuuentus veteres contemnere disceret.* Factum id est in scripto, cui falsis et ingenii parum, malitiae et obrectationis multum, immo nimium inest, quod inscribitur *Vniuersa Aesthetica in nuce, die ganze Aesthetik in einer Nuss &c.* Foras datum id est anno superiore exeunte, magnumque inter huius saeculi Germaniae Poetas excitauit bellum (4). In obscuro dum latere voluit eius compilerator, lucis formidine: inter celeb. *Goettingenses* et clar. GOTTSCHEIDIVM, Lipsiensem, lis iam publica orta est, cum illi non obscure in ephemeridibus suis litterariis hunc scripti famosissimi auctorem esse, significassent, quam a se mali nominis notam, ceu iniuriam, ut publice abstergeret, in Nouis Litt. Lipf. maxime de Goettingensibus questus est (5). Nos iam

4) Integer famosi libelli titulus est: *die ganze Aesthetik in einer Nuss, oder Neologisches Wörterbuch, als ein sicherer Kunstgriff, in 24 Stunden ein geistvoller Dichter und Redner zu werden, und sich über alle schale und hirnlose Reimer zu schwingen. Alles aus den Accenten der heil. Männer und Barden des*

itzigen überreichlich begeisterten Jahrhunderts zusammen getragen, und den größten Wort-Schoepfern unter denselben aus dunkler Ferne geheiligt von einigen demüthigen Verehrern der schraffischen Dichtkunst. 1754. octupla charta, sine impressionis loco, in praef. p. III

5) Clarissimi *Goettingenses* non fuere primi,

iam de iniurio libelli auctore litem, publico eruditorum, certaminum poeticorum huc vsque acerrime gestorum, non omnino ignarorum iudicio relinquentes, quae non potest non temporis beneficio tandem decidi ac componi, quae compilatoris fuerit mens, quodue consilium inquiramus. Non altioris haec indaginis res est, cum ex operis titulo statim, quid sentiat iste capito, pateat. Inuehitur enim magis quam rustico et vulgari more in optimos quosque huius saeculi veri nominis poetas, HALLERVM, HALLERVM, BODMERVM, KLOPSTOCKIVM, GELBERTVM et alios. Neque, qui ab horum partibus stant, aut eorum causam egerunt, aequo potest ferre animo. Hinc celeberrimum MEIERVM, et alios canino dente perfrinxit, meque ipsum nominatim momordit. Rident sane, quotquot insulsiissimi hominis audacia publice aggressa est, tales impetus, neque, quicum certamen ineant, dignum alucitam iudicant. Tantum igitur ego absum, vt me ab eiusmodi petulantia puerili defendam, vt alias similes, quibus me dudum iam petierunt, huius factionis et coryphaei et asseclae, non sine miserationis

Λ 3

sensu

mi, qui cel. GOTTSCHEIDIVM, apertum, immo acerrimum poetarum, qui hoc scripto petuntur, hostem (quem infensissimum animum etiam in iis scriptis declarat, vbi nullus illi locus, vid. Eius *Progymnasmatum Rhetorices*, anno superiore publicata, variis locis) libri auctorem innuerunt vid. *Götting. gel. Anzeigen* 1754. N. 133 Factum id iam antea erat in iocoso, minus vero satyrico, scripto, quod inscribitur *Ragout à la Mode, oder des Neologischen Wörterbuchs erste Zugabe*. 8. 1755. Sed celeberrimus Lipsiensis Doctor per boni viri fidem in *Nouis Litzcr. Lipsj. a. 1754. N. 24.* se scripti au-

ctorem esse negavit: quam existimationis eius defensionem *Goettingenses* repetunt in *Ephemerid. suis* 1754. N. 146. Prodiit deinde duarum plagellarum scriptum: *der ganzen Aesthetik in einem Nuß oder des neologischen Wörterbuchs erster Anhang*

Multa fero, vt placem genus irritabile vatium!
 1755. 8. quod omne eo tendit, vt GOTTSCHEIDIVM, V. C. ab hac suspitione liberet, contra MEIERVM V. C. potissimum defendat, eiusque praestantia de bonis litteris merita, defunctorum etiam litteris publicatis, adferat. His expensis quis scripti auctorem adhuc ignorat?



sensu quodam cum animi magnitudine exceperim. Neque iam publice cum ineptis his hominibus, ad quorum conuicia dudum occallui, certarem, si mea tantum res ageretur, quae salua semper, illis oblatrantibus, stabit: eo vero audaciae cum proceserint, vt *ducalem scholam*, cuius regimen ego gero, calumniis suis petere conentur; muneris mei ratio, vt eiusmodi iniuriam a Musis nostris vindicem, me impulit. Non enim leuis res est, *principalem* scholam, quam ipse *Serenissimus Dux* in sinu fouet, suaque dignatur singulari gratia ac patrocinio, cuius constitutio a splendidissimo *senatu sacro* atque *ecclesiastico* sapientissime profecta est, cui denique grauissimus *Epborus* inuigilat, publice diffamare, ac calumniari. Quantum Gymnasia, ad quae vndique iuuenes confluunt, bonae famae debeant, non opus est fusius hic docere: inde cum satis, quam grauitur, qui de illorum fama derogant, in illa committant, appareat. Mearum igitur duxi esse partium, has calumnias publice ira contundere, vt ne schola nostra, quae apud exteros bene huc vsque audit, quid inde capiat detrimenti.

Non vero solum nostrum Lyceum his calumniis aspersum est (quod, nisi solatium adferat nobis, tamen iniuriae apertum mendaciam prodit) sed *Gothanum* aequae atque *Altenburgense* in eiusdem criminationis societatem adducta sunt. Quis autem, quantum in his a viris celeberrimis, et eruditissimis STVSSIO, MOERLINO et RANISCHIO bonis litteris tribuatur, nescit? Diu iam est, ex quo a viro quodam maxime supercilioso, qui, cum meliores litteras vbique et veteres crepat, seque illarum iudicem iactat, scriptis suis tamen spissam illarum ignorantiam prodit, quamuis illis saepius veterum locos, tamquam late splendentes pannos, adsuat, in optimae notae viros scholasticos, Rectores potissimum, iniquissimus factus

factus est imperus. Quid ipsi rei cum his viris sit, diu ne diuinando quidem colligere potui, cum omnem suam atram v-bique in illos euomat bilem, nisi quod nuper in ludicra quadam scriptione, id causae subesse, legi, quod hi scholaestici homines humaniores litteras, latinam potissimum linguam, magis colerent, quam vel ipse coluisset, vel pro liuore et ingenio suo eas coli vellet, ne ars eius magna, *oratio pedestris et rhytmica* de trono, quem praetendit, depelleretur (6). Quod si enim iam in scholis vera poeseos indoles, quae neutiquam in pedum iusta dimensione aut rhythmici aurium titillatione consistit, ostenditur, optimique antiquitatis poetae, quos nostri saeculi poetaestri semper quidem in ore gerunt, numquam vero imitantur, bonarum litterarum studiosis ita explicantur, vt artis poeticae praecepta inde rite deriuentur, atque inculcentur, futurum facile videt, vt, quantum distent aera lupinis, discant, qui huic arti vacant.

Sed mittamus hunc morosum in rep. poetica dictatorem, qui nostris temporibus optime famae suae consulisset, si HORATII exemplum secutus, qui senescens optimum duxit, plane non facere versus, sed tempus in morum disciplina potius consumere

Nimirum sapere est abiectis vtile nugis.

Et tempestiuum pueris concedere ludum (7).

aliis poeseos laudem, tamquam emeritus, concessisset. Reuertamur potius ad mendacem Gymnasiae nostri cauillatorem, atque in causas iniuriae huius paullisper inquiramus. Iuuenes nostros, vt veteres spernant, discere, audacter mentitur. Sed heus tu, empaesta, vnde hoc probabis? Quo fundamento tua haec nititur inculatio? Accusatorem firmum, verumque esse

6) In *Ragout à la Mode*, cuius supra mentionem feci.

7) *Epistol.* Libr. II. 2. 141. 142. edit. GESNERIANAE

VIII

esse oportet. Vnde hanc falsam accusationem, qua nos petis, conflasti? Diu multumque cogitando nihil nobis, quod maledictionis huius ansam praebere potuisset, innotuit praeter prolusionem illam nostram scholasticam *de praecipua Christeidos Klopstockianae venere*, quam ante biennium, et quod excurrit, vulgauimus. Quod si vero importunus hic homo hanc nostram scriptionem vel obiter perlustrasset, satis inde, quantum veteribus a nobis statuatur pretii, intellexisset. *Tota enim non solum tractatio, quae cel. KLOPSTOCKII Christeida laudibus effert, abundat veterum poetarum locis, qui laudis nostrae veritatem et sinceritatem euincunt, sed aliquoties ipse etiam, poetam, quo melius veterum premar vestigia, eo illum esse perfectiorem*, expressis verbis contendi (8). Immo ipsum poetarum epicorum Germaniae principem vel ideo celeberrauimus, quia *vel minimas veterum poetarum veneres maxima cum attentione obseruauit, in vsusque conuertit suos* (9). Qui igitur fieri potuit, vt tam impudenter calumniandi occasionem inde vi atque iniuria quadam abstulerit, quod maledictionem falsitatis quam maxime arguit? Hominem liuor, et malitia ita occaecauit, vt in media luce palpauerit. Nos sane maiori aequitate, potiorique iure ita argumentari posse, putamus: quicumque Christeida, epopoeiae exemplum, in qua veterum veneres coniunctae apparent, sine vlla alia ratione, quam quae ex inuidia petitur, canino dente rodit, et impudentissime carpit, ille veteres non negligit solum, et flocci pendit, sed ipsos hos reprehendit, et arguit. Sed tunc videat, quomodo culpam hanc effugiat famosissimae Aestheticae in nuce ridiculus auctor. Quod si itaque prolusioni nostrae ita felici esse contigisset, vt in multorum manus exiisset, (qua tamen felicitate minora scripta aegre plerumque carent,) ope-
rae

8) v. Proluf. huius p. IIII

9) pag. XIII

rae vix pretium foret, Gymnasium nostrum a tali maledictione defendere. Id vero cum minus factum arbitramur, neque tamen, vt schola nostra ex hac scriptiuncula malam famam consequatur, committendum nobis est: ita rebus nostris scholasticis optime consuli, apud animum statuimus, si paucis, quam falsa, quam iniqua haec sit maledictio, ob oculos cui-libet ponatur. Duplici id fieri poterit ratione, ita vt primo loco illorum auctorum veterum instituiamus censum, qui per septennium istud, quo huius scholae regimen gessi, vel a me ipso, vel a collegis amicisimis, pertractati sunt: deinde vt methodum publico subiiciam eruditorum examini, qua isti apud nos praelegi consueuerunt. Hac via si incessero, malignam hanc famam, si vnus hominis mendacia fama dici possunt, optime compressum iri, puto.

Ad primum tractationis argumentum quod attinet, ipse detrectator, si lectionum nostrarum, tam publicarum, quam priuatarum et priuatisimarum indices, qui singulis semestribus luci exponuntur publicae, inspexisset, quod tamen, de re nostra scholastica iudicaturus, omnino facere debuisset, facile aliter sensisset. Ad hos igitur tantum illum ablegamus, et, ne ipsi verba dare videamur, ex illis bona fide auctores veteres recensebimus, quos in succum quasi et sanguinem vertere studuimus. Clasium nostrarum ordinem secuti sequentem illorum subiungimus seriem. Ex Graecis scriptoribus classicis in prima classe tam mea, quam coniunctissimi Collegae, cl. IAC. FRID. HEVSINGERI opera, cui antiquae eruditionis, in qua totus profusus est, laudem nemo facile negabit, pertractati sunt, praeter *Novum Testamentum Graecum*, ISOCRATIS *Oratio ad Nicoclem*, et *Nicocles* ipse, PLYTARCHI *de Liberorum Educatione* Commentarius bis, *Aurea Carmina* PYTHAGORAE, PHOCYLIDIS *Carmina*, HESIODI *Ascraei*, quae existant, omnia *carmina* et tam-

B

dem

X.

dem ANACREONTIS *Teii*, nec non *Poetrias Lesbiae Odae*. Praeter hos priuatissime praelecti sunt HOMERVS et PALAEPHATVS: nec non EVRIPIDIS *Hecuba*. Ex latinis operam nauauimus lectioni *Orationum* plurimarum CICERONIS, eiusdemque principis auctoris *de Officiis* Libros tres, *Catonem maiorem*, *Laelium*, *Paradoxa*, *Somnium Scipionis*, nec non *ad Familiares Epistolas*, praeterea SVETONIVM, et LIVIVM praelegimus. Ex Poetis VIRGILIVM et HORATIVM integros, et denique OVIDII *Tristium* Libros, *ex Ponto* epistolas, et *Heroides*. In secunda classe perlecti sunt CORNELIVS NEPOS, IVLIVS CAESAR, IVSTINVS, TERENCEVS et HIEROCLIS *Facetiae*. Tertiae classis alumni tractarunt praeter NEPOTEM, EVTROPIVM et PHAEDRI *Fabulas Aesopias*. In quarta classe minores *Ciceronianae* ad familiares epistolae inculcantur. Iam vero, quis longum hunc veterum indicem contemplatus, nos in schola nostra veteres negligere, dicere audebit? Nec tamen eiusmodi obtrectatores desunt, qui contra solem loqui et scribere non erubescunt. At pudeat illos mendaciorum suorum, qui, vt caecus de colore, iudicant.

Ipsi tamen optime scimus, solam horum auctorum lectionem non sufficere ad aequum bonis litteris, illarumque ftatoribus antiquis statuendum pretium. Vt igitur omnem funditus extirpemus huius calumniae suspicionem, liceat nobis hoc loco, quo modo hos auctores praelegere consueuimus, paucis exponere. Auctoris cuiusdam tractationem orfuri iuuenes nostros in limine litteraria illius notitia imbuiamus. Pertinet illa fere semper ad haec tria momenta, auctoris vitam, scripta, atque editiones. Omnibus instructi subfidis vrimur hac in re immortalis IO. ALB. FABRICII *Bibliothecis* tam *Graeca* quam *Latina* (10), cel. IO. NICOL. FVNCCH *de*

10) *Bibliotheca Graeca* s. notitia scriptorum veterum Graecorum Vol. XIII 4. Hamb, 1705 - 1726. Eiusd. *Biblioth.*

Latina s. notitia auctorum veterum Latinorum, Vol. III. 8, Hamb. 1721. 1722.

de Aetatibus Latinae Linguae Commentariis (11), S. V. IO GEORG. VVALCHII *Historia Critica L. L.* (12) et IO. BEN. HEDERICI *Notitia Auct. Class. Veterum* (13), praeter optimas cuiusuis auctoris editiones, quibus haec capita praefixa esse solent, et varios alios libros, ex quibus, quae huc faciunt, colligimus. His praemisissis in ipsa auctoris lectione editionem adhibemus omnium optimam i. e. emendatissimam. Quem enim tot de codicibus deprauatis eruditorum querelae fugiunt? Quis, multa in veterum libros menda irrepisse, nescit, ex quibus nati sunt viris doctis innumeri labores, vt veterum scripta emendate ederentur. Neque quantum ex auctorum classicorum vitiosis et mendosis editionibus scholis damnum enascatur, dici satis potest: praesertim cum, quae in studiofae iuuentutis seu scholasticum vsum prostant, plurimis eiusmodi scateant naeuis, atque erroribus. Iuuentuti igitur scholasticae optime consuluerunt viri artibus, quae ab humanitate vocantur, litantes, in auctorum correcta atque emendata editione occupati. Sed quantum adhuc desideratur, et quot auctores etiam nunc naeuis et mendis suis deformantur? Quanta igitur adhuc criticorum opus est erudita diligentia! Solet plerumque corrupta scriptura lectorum obfuscare oculos, eosque in errores, nonnumquam pudendos, abripere.

B 2

Quos

11) *Quinque Voluminibus opus hoc egregium iam constat, de Origine et Pueritia Lat. L. Libr. II. de Adolescentia L. L. Tractatu, de Virili Aetate Part. II. de imminente L. L. Senectute tractat. de Vegeta L. L. Senectute Commentario, et de Inertia ac decrepita L. L. Senectute Comment. quadruplicata charta: quae duo adhuc excipient de Latinitate decumbente alterum, alterum denique de re-*

staurata Latinitate. Eruditissimo Auctori, Fautori nostro colendo, ad haec perficienda, et ad vmbilicum perdu-cenda vitam ac vires apprecamur, quos flagrans illorum tener desiderium.

12) *Editio nostra* prodit Ienae 1716. 8.

13) *Notitia Auctorum s. Leben, Schriften, Editiones und Censuren der fährnehmsten Scribenten.* VVittenberg 1714. 8.

Quos ut deitem, magnis sumtibus nitidissimas, atque emendatissimas plerorumque auctorum classicorum tam Graecorum quam Latinorum (quos pertractavi, ad unum omnium) ex Belgio, aut aliunde coemi, ut auditoribus meis, quantum possem, inferuirem. Iuuenum quidem iudicium nondum ita politum est ac limatum, ut de variis lectionibus recte iudicare possint, et iste doctor, qui multus in his inculcandis aut enarrandis foret, falleret discipulos, in eosque foret iniurius: prudens tamen et rerum scholasticarum peritus magister tantum ex his propinat, et prolibat, quantum iuuenum captui ad commodatum nouit, reliqua in suum conuertit usum. Ut ne ergo pubes, disciplinae nostrae tradita, Critices omnino esset expertus, princeps hoc eius momentum, quoties rei et temporis ratio postulauit aut permisit, attigimus: praefertim cum loci nostri conditio talia suppeditet subsidia, quae in aliis frustra quaeruntur. *Augusta* nostra *Bibliotheca*, terrarum nostrarum cimelium, orbis eruditi miraculum, tot rarissimis instructa est auctorum classicorum codicibus manu exaratis, ut praeter illam nulla (14). Ut igitur auditores nostri et veteris scripturae et ipsarum membranarum notitiam acquirerent, saepius ipsi codices illis ob oculos positi sunt, ita

14) Forte fortuna nuper *Codex quidam*

MStus in qualemcumque nostram Bibliothecam transit, cuius ut hic mentionem iniiciam, tractationis ratio facta. Est membrana XXXVI plagellarum octuplicatarum, cuius scriptio quadringentorum circiter annorum aetatem prodit. Continet P. PAPINII STATII, poetae celeberrimi, *Achilleida*. In hoc codice tota *Achilleis*, quae superest, uero complectitur libro, cum ab aliis in libros quinque dissecatur. Vid. VOSSII *de Poet. Lat.* p. m. 4. 5. In diuersa tamen pensa distribuitur, quae singula scholia

stes quidam praecedat, utilia multa continens. Scriptura ipsa admodum distincta in ipso Poeta, in scholiis uero valde abbreviata. Alligata sunt huic codici VII folia codicis adhuc multum antiquioris, quae *Epistolarum* HORATIANARVM Libri I partem et secundum integrum complectuntur. Sollicite haec cum variis Lectionibus Editionis *Gesnerianae* contuli, et praeclara multa adnotavi, quae forsitan alio tempore cum L. B. communicabo. Duo uero uel tria folia accisa aliquantum sunt.

ita tamen, ne vtilioribus tempus furarentur. Si qui fuerunt veterum auctorum, a nobis pertractatorum, scholiastae tam editi, quam inediti, illos fere semper, hos infrequentius, consulimus, praesertim in locis obscurioribus et difficilioribus, discipulosque nostros, quantum illis statuendum sit pretii, docuimus (15). Recentiorum eruditorum animaduersiones ac commentarios, textui vel subiectos, vel ad calcem libri reiectos, ipsi ante pensi quotidiani tractationem totos perlustrauimus, vt, si quae illis inessent scitu et cognitu auditoribus nostris necessaria, ea inde excerpta cum illis communicaremus, hoc tamen dilectu habito, vt veterum scriptis maiorem, quam his operam dandam, discipulis nostris persuadeamus. Nisi enim loci obscuritas, aut rationes aliae nos ad haec eruditorum et criticorum collectanea, intempestivae saepe ostentationis, vel obscurae iactantiae plena, inuitent: mittimus ea sicco transeuntes pede. In ipsa tandem auctorum veterum lectione id semper agitur, vt genuinus et verus auctoris sensus eruatur. Solicite igitur semper vocum singularium significationes inquirimus. Et vnus vocis vna cum sit significatio propria et princeps, ceterae aut communes, aut accesoriae vel etiam spuriae: hanc potissimum attendimus, proprietatemque vocis nostris potissimum inculcamus, vt, quomodo reliquae inde enatae sint, facilius intelligere queant. Quamlibet statera auraria quasi pendimus vocem, nec facile quicquam, quod ad eius intellectum faciat, praetermittimus. Verba sollemnia ex antiquitate illustramus, communem significationem indicamus, differentiam solicite noramus, notiones ignotas explicamus, synonyma atque oppositiones non negligimus, epitheta feligimus, ellipses supplemus, peregrinorum circumscriptiones

B 3

15) Secuti hac in re sumus iudicium viri
harum rerum peritissimi, IO. AVG.
ERNESTI, quod publicauit in

*Praefatione ad ARISTOPHANIS Nubes
e recens. L. KYSTERI editas Lipsiae
MDCCLIII*

nes attendimus, barbara atro calculo signamus, atque omnia, quae ad etymologiam et compositionem verborum pertinent, studiose obseruamus. Diligens, familiaris ac stataria plurimorum veterum lectio nobis maximo hac in re auxilio est. In primis autem studiis his nostris inferuiunt in Latinorum lectione locupletissimus *Nouus Linguae et Eruditionis Romanae Thesaurus*, quo cel. IO. MATTHIAS GESNERVS, vir de mansuetioribus litteris immortaliter meritus, nomen suum immortalitati commendauit, nec non in Graecorum explicatione loco Scapulae, aliorumue Lexicographorum *Graecum Lexicon Manuale Hederici* a viro celeb. IO. AVG. ERNESTIO ita emendatum, vt nouum, idque plane perfectum, opus haberi possit. Lexicorum eiusmodi vsus maximam fane in auctorum lectione praestat vtilitatem, quae, ne meliores litterae prorsus pereant, cauent (16).

Praeterea classici auctores, praesertim poetae, cum crebro soleant alludere ad antiquissimam Graeciae historiam, quam *μῦθον fabulam* dixerunt, et quadam velut orali traditione propagarunt: vt, quae ex mythica hac historia ad auctoris intellectum faciunt, neruose et strictim tradantur, semper operam damus. Ex Graecis hoc argumentum tractarunt DIODORVS SICVLVS, APOLLODORVS ATHENIENSIS et alii: ex Latinis OVIDIVS, HYGIVS, et plures alii. His non solum, sed et recentiorum quorundam, praesertim NATALIS COMITIS, Veneti (17), et ANT. BANIERII, Galli (18), eruditus scriptis adiutus, facile scopulos effugio, qui alios impediunt, ancipitesque tenent.

Veteris

16) Vid. *Dissert. mea in Diurn. Hanou.*
supra memorata p. 64.

17) *Mythologiae* Libr. X. Francof.
1581. 8. ap. Vuechel.

18) *La Mythologie et les Fables ex-*

pliquées par V Histoire T. I - VIII
Par. 1738 - 40. 12. qui vtilissimus liber
in vernaculam iam non sine scholarum
insigni vtilitate vertitur.

Veteris orbis notitiam summe necessariam ad auctorum veterum esse studium, qui neget, credo fore neminem. Occurrunt in illis passim gentium, regionum et urbium nomina, quae geographiae veteris experts difficulter, immo prorsus non intelliget. Multum huic studio impendi temporis, ex quo huius scientiae fontes in potestatem meam venerunt. STRABONEM et MELAM puto, in quorum lectione CHRISTOPH. CELLARIUS, δ' πολυίσωρ, lucem mihi primus accendit, eruditissimo suo opere, quod *notitia orbis antiqui* inscribitur (19). Neque hoc loco dissimulare possum, ut in tota eruditione, quantula mea sit, ita in hoc potissimum litterarum studio, maximam me cepisse utilitatem ex *Historia Vniuersali*, quae incredibili diligentia atque doctrina viri inter eruditos principis S. V. BAUMGARTENII ornata, in vernaculam versa sensim prodit, omnisque eruditionis veteris amplissimus dici meretur thesaurus. His munitus praefidiis Geographiam veterem propino, et quae in auctoribus huius generis occurrunt, extrico.

Rerum, in orbe antiquitus gestarum, cognitione aegre carebit, qui auctorum veterum explicationem in se suscipit. Omnis lectionis perit voluptas, atque adeo litterarum amor, si prorsus quis ignorat, quo tempore, quo loco, et sub quibus conditionibus, quae legit, euenerint. Omnia ei nigrescent tenebris, easque rebus clarissimis obducat. Est enim *testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae. nuntia vetustatis Historia* (20). Noti nimis sunt tam graeci quam latini Historici, ut mea illorum recensione opus non sit. Id monuisse sufficit, nos non temere locum transmittere, cui, si ab Historia lucis quid exspectat, illud non adfundamus: his praesertim temporibus, cum eruditissimi BAUMGARTENII consilio

19) *Notit. Orb. antiqui* [*Geographiae* 20) CICERO *de Orat.* 2, 36. c. IX
 plenioris Partes tres. 4. Lips. 701.

XVI

consilio ac indefesso studio vetus Historia florere inter eruditos de nouo incipiat, et quasi ab interitu reuocata videatur, quae sane omnis doctrinae et prudentiae fons est vberimus ac perennis.

Nec minus antiquitatum scientia auctorum classicorum lectioni inseruit. Antiquos enim ritus, innumerasque consuetudines nisi quis probe intellectas in numero habeat, vbiq; certe haesitabit, et caecutiet. Quoties igitur opus est in veterum explicatione, ea consulimus scripta, quae his de rebus copiose et erudite exponunt. Ex magna illorum, quibus vtimur, copia PFEIFFERVM (21) et DEMPSTERVM (22) nominasse sufficiat: qui si sitim nostram non restinguunt (accidit autem hoc saepius) ad alia confugimus, quae et libraria nostra supellex, et *Augusta* huius loci *Bibliotheca* suppeditant, cuius vsum pro ea, qua est in Musae propensione, *Serenissimus Princeps* indulgentissime nobis concessit.

In ipsa auctorum tractatione non vtrumque, et linguae habemus rationem, sed argumenti etiam, vt vtrumque inde aequali diligentia addiscatur. Legimus exempli gratia HORATII de Arte Poetica commentarium. Verba nosse, sensumque auctoris explicare minime tractationis nostrae caput est: sed id agimus, vt studiosa nostra iuuentus artis poeticae praecepta inde recte percipiat. Illustramus igitur hunc librum tam ex ARISTOTELIS Arte poetica, quam ex ipsis HOMERI et VIRGILII absolutissimis exemplis. Hi enim fontes sunt, ex quibus Flaccus potissimum praecepta sua hausit. Praelegimus *Iliados Homerianae* libros non eo solum fine, vt graeca inde addiscant iuuenes, sed vt carminis epici naturam atque indolem inde cognoscant. Quenam huius carminis sit *πράξις*,
feu

21) IOAN. PHIL. PFEIFFERI *Antiquit. Graecarum* Libr. IV. 4. Regiom., edit. nostra 1689.

22) *Corpus Antiquit. Romanarum* auctore TH. DEMPSTERO studio AND. SCHOTTI Col. 1619. 4.

seu actio, quinam sit *μῦθος* seu fabula, accurate ostendimus. Seligimus *ἐπισόδια*, quibus Poeta usus est: horum naturam, virtutes et vitia ob oculos ponimus. De rerum in contrarium conuersione (*περιπέτειαν* Graeci dicunt) eiusque indole describimus. Nodos quaerimus, eorumque solutionem indagamus. Quid τὸ ἦθος poeticum sibi velit, declaramus. Numina, quae Machinae dicuntur, quando et quomodo in epico carmine debeant adhiberi, et quae de stilo poetico, sententiis aequae ac verbis, monenda sunt, omnia exponimus, principium quomodo ponendum sit, docemus (23), ut sexcenta alia taceam. Inde satis, ni fallor, apparet, nos ex ipsis veteribus poetis poeticam artem discere, neque ex recentiorum quorundam

- 23) Quae acutus aequae atque ingeniosus LESSINGIUS in scriptorum suorum Part. II Epist. XVI de Christeidos principio magna cum specie disputauit, legi nuper non sine admiratione quadam. In ipsa enim hac disputatione vir, cuius palatum sagax in gustu, qui aliorum lapsus aut vitia indaganter sectatur, aegre sibi a lapsibus cauit. Tacebo iam, omnem hanc reprehensionem facili opera refelli posse, quod iam factum legi in den Hamb. gel. Berichten A. MDCCLV hoc saltem moniturus, C. L. LESSINGIUM, qui aliorum versiones tam acriter carpit, in hac epistola maius commisisse vitium. Cyclici enim Poetae, qui est apud Horatium, initium
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum

sic germanice vertit: *Ich will das Glück des Priamus und den edlen Krieg besingen.* Primo enim fortuna hoc loco minime significat Glück, sed potius fortunam malam das Unglück, quod omnes, qui Iliada Ho-

meri vel obiter legerunt, nosse debent. Deinde vero nobile bellum forsitan melius vertisset berühmten Krieg. Putat Criticus hic nouus, versum hunc a nemine huc vsque recte fuisse explicatum: nouam igitur ingressurus viam, initium vitium in eo latere ex Horatii mente putat, quod cyclicus iste poeta carminis principium absque Deorum aut Musarum inuocatione posuit. Sed, Vir *κρίτικώτατε*, quis te docuit, Horatium graecum innuere poetam? Nonne ipse Maro, quem sibi in sua Arte poetica Horatius exemplum proposuit, simili modo incipit

Arma virumque cano.

Nonne igitur Virgilius idem commisisset vitium, quod ex tua sententia Horatius reprehendit? Vides igitur nullam tuam esse causam, quam omnes antea criticos ignorasse gloriaris audacter. Puto equidem vitium principii partim latere in vocibus *cantabo* & *nobile*, quae cum hiatu proferri debent, qui grandiloquorum proprie fuit, (hi enim hiare solent) id quod ex sequenti apparet versu

Quid

rumdam lacunis, ultra quas tamen nihil sapiunt, rhythmicam quamdam artem, pro poetica falso iactatam, haurire. His me veterum epicorum poetarum praeceptis imbutum *Christidos Klopstockianae* veneres impulerunt, ut publice in eius laudes excurrerem. Tam presso enim pede vatem hunc veterum vestigia pressisse, miratus sum, ut, quae *Homerus, Virgilius, Aristoteles* et *Horatius* tam suis exemplis, quam praeceptis docuerant, felici vena, dextroque Apolline adsecutus sit. Qui fieri igitur possit, nescio, ut, quorum scripta veteres *Aristotelem, Theonem, Aphthonium* ad nauseam usque circumforaneo more in ore habent, infensissimi huius poematis sint aduersarii, in eoque carpando, et contemnendo sui ipsi vel obliuiscantur, vel se aliis risui exponant: nisi vel liuore caeci ducantur, qui semper summa petit, vel maledicendi petulantia abundant.

Denique, quod primo loco monendum fuisset, in auctorum veterum lectione potissimam quoque stili habemus rationem. Non quidem in Athenaeo nostro calamistris intorquemus orationem, eique colores adscititios, tamquam fucum, inducimus: neque tamen auribus tam sumus agrestibus atque impolitis, ut omnem orationis negligamus nitorem atque elegantiam. Aureae aetatis scriptores cum prae aliis versemus manibus nostris, quae ad *puritatem, concinnitatem, ornatum* et *congruentiam* stili faciunt, curatius a nobis attenduntur. Ut in poematis explicacione artificium poeticum; ita in orationum praelectione artificium oratorium semper ostendimus

Quid dignum tanto feret hic promisor *hiatu*?

partim in epitheto *nobile*. Epici enim carminis principium neutiquam permittit, ut materia traçanda statim lau-

dibus efferatur: quod poetae modestiae repugnat, et ostentationis notam habet; licet priorem posteriori grauiorem iudicem causam, quam plures boni poetae saepius neglexerunt.

dimus: nec declamationes conscribendi occasio nostris deest, quae ad veterum normam semper emendantur et referuntur.

Sed nimis longi forsan iam in hac disputatione fuimus, quae eum in finem a nobis conscripta est, vt Musas nostras ab impudenti obtreptione vindicaremus. Potuissimus quidem hoc labore superfedere ob eos, qui hanc scholam, eiusque constitutionem norunt: exteri vero cum facile inde aliquid mali suspicandi causam petere possent, horum potissimum causa qualemcumque hanc defensionem suscepimus. Penes lectores igitur, quotquot hanc disertationem lectione sua dignabuntur, iudicium in hac controuersia esto, quibus omne permittimus, nosque illi recte subiicimus. Id saltem monemus, noster si audax criminator iuuenis classicos auctores ita legisset, eosque in scholis ita fuisset edoctus, aut, si edoctus est, bene didicisset, nam ex quouis non fit ligno Mercurius, vt apud nos tractantur, nosque ipsi viam hac scriptione monstrauius: ineptias istas non publicasset, quae male sanum eius sinciput publicae exponunt misericordiae. Sed mittimus hunc copriam, Anticyramque ablegamus, atque in huius scriptiunculae calce bonis litteris, et antiquis scriptoribus hanc damus fidem, ipsis a scholarum doctoribus, quorum plurimi his studiis delectantur, in iisque diu noctuque versantur, non tantum metuendum esse periculi, contemptus atque interitus, quam ab academicis plurimis, in quibus paucos, qui bonis litteris vel cupiant, aut eas studiosis commendent, qui ipsi illis operam dent, vnum vix et alterum reperies, licet humaniores litteras pereuntes semper clamitent, atque in alios culpam coniciant, qua se ipsi contaminant.



Verti-



ertitur iam ad TE, *Vir Summe Venerabilis*, oratio nostra, cuius causa tota haec scriptio instituta est. Communem laetitiam, qua nos et Musae nostrae perfusi sumus, exprimere cum animus nobis fuerit, digniorem certe disferendi materiam inuenire vix potuimus, quam quae in vindicanda schola nostra a manifesta ista calumnia versatur. Ignosces auctoris temeritati, si nimis verbose forsitan argumentum hoc profecutus, bonis verbis, communi nomine dicendis, tempus et spatium praeripuerit. Cum enim singularis *Serenissimi Heri nostri* clementia ad munera ista grauisissima, quae summa cum laude obis, noua, eaque amplissima adiecerit, est sane, quod hunc TIBI honorum cumulum obseruantissime gratulemur. Suscipis iam *Praefulis Generalis* venerabilem prouinciam, adis *Antistitis Primarii* metropolitanae huius loci ecclesiae praeclara munia, et, quae ad nos propius pertinent, *Scholae nostrae Ephori* partes honorificae TIBI iam tribuuntur. TE sane digniorem, Celsissimus CAROLVS, qui non nisi dignis praemia concedit, amplissimis his muneribus inuenire neutiquam potuisset. Quem enim praestantissima fugiunt merita, quibus de Celsissima Brunouicensium Familia, quae vniuersa olim a TE disciplinis sanctioribus imbuta fuit, promeritus es? Quis nescit, quam bene de rebus sacris terrarum nostrarum adhuc merearis?

Cui



Cui praecipua, eaque singularia, quae Ecclesiae nostrae praestitisti, officia ignota sunt? Quis denique omni laude dignissimas, quibus excellis, virtutes ignorat? Nos non adulatorio more haec dicere, minimeque TE palpari, testis est vniuersa haec ciuitas, quae TE digne colit. Laetantur igitur singuli eius ciues, gaudent Proceres nostri, qui TE delectantur, in primis vero nos in communis laetitiae societatem trahimur. Diu iam est, quum TE, *Vir Magnifice*, in oculis nostris tulimus, summaque profecuti sumus reuerentia. Iam vero, cura scholae nostrae cum TIBI demandatur, nosque patrocinio TVO felici omine nitimur, crescit adhuc nostra in TE pietas, nostrum studium. Rei nostrae scholasticae statum diu iam perspectum habes. Ipse optime scis, quam inique ab illo scabioso homine, quem supra depexum reddidi, neque rarerer ab aliis, carpatur. Longe tamen ab ea absumus arrogancia, vt omnes naeuos dissimulemus, certissime persuasi, TE pro singulari, qua polles, rerum scholasticarum peritia (quis hanc in magno VOCKERODTIO dignissimo olim discipulo desideret?) rebus nostris optime consulturum esse. Nobis fatius nihil erit, nihilque antiquius, quam vt consilia TVA matura, ac fida presse sequamur, nostrisque partibus numquam defuisse videamur. Maeste igitur, *Vir Venerabilis*, nouis his honoribus, Maeste, inquam, virtute esto. Concedat TIBI summum

mum Numen nouas vires, easque in seros annos alat. Faxit, vt quaecumque in rei ecclesiasticae aequae ac scholasticae salutem suscipis, feliciter tibi eueniant, omnibusque tuis conatibus semper adnuat. Nos satis felices, Musasque nostras fartas tectasque laetabimur, si quae fausta precati sumus, rata a Deo haberi ex ipso euentu cognoscemus. Ceterum id vnice atque impense TE, *Vir Magnifice*, qua decet, pietate, rogamus, Musas nostras, nosque ipsos fauore tuo amplecti ne dedigneris. Dabam in Schola
 Vuolfenbuttelenfi Cal. Nou. A. R. S.

MDCCLV



Ga 4467.


80

8

1018

121







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

4

VOLFENBUTTELENSIS
VINDICIAE

RATV LATVM

VMME VENERABILI

I GEORGIO
DEKOP

OLOGO LONGE CELEBERRIMO
ENSIVM DVCIS A SACRIS CONSILIIS
NFESS. ECCLESIAE METROPOLITANAE
ENSIS ADHVC ARCHIDIACONO
NOTROPHEI CVRATORI

LISSIMORVM ACCESSIONEM
IN PRIMIS

NOSTRI EΦOPEIAN

SDEM DOCTORVM PIETATE

AVCTORE
STOPH. DOMMERICH
LECTORE

FENBUTTELAE

EBAT IO. VVILH. BINDSEIL

